



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1670**

Quæst. 4. An Deus se cognoscat ex creaturis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77011)

30 Sed dicunt Recentiores, etsi relatio non connexionis ex se tantum determinet ad apprehensionem simplicem termini, Deum tamen per illam ad iudicium determinari: quia fat est, talem relationem determinare Deum ad cognoscendum vtrunque terminum, vt Deus, cuius intellectus non potest non quilibet perfectissimo modo cognoscere, per eam determinationem inducatur ad cognoscendum ipsum terminum intuitiue, & comprehensiue, atque adeo iudicatiue. Sed contra. Quia, semel admissa determinatione ex parte prædictæ relationis ad simplicem apprehensionem termini, doctrina Recentiorum tantum posset habere locum casu, quod talis apprehensio esset Deo impossibilis; nec posset ipsa ad illam, sed solum ad iudicium determinari. Cæterum, cum simplex apprehensio prædicti termini sit Deo possibilis, vt disput. 23. quæst. 3. ostensum est; nequiret ille in casu admissio per relationem prædictam ad aliud genus cognitionis determinari: quia neque relatio, neque perfectio diuini intellectus aliud genus cognitionis exposceret. Addo, quando cognitio fallibilis habitata est per speciem alienam, ne apprehensione quidem simplici de obiecto eius egere Deum ad cognoscendum illam iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 5. proposit. 2. Tametsi de phantasmate subituro pro tali obiecto aliquam saltem apprehensionem simplicem habere debeat.

31 Ex dictis in hac quæstione colligitur, Deum se ipsum in quouis alio obiecto metaphysicè secum connexo cognosci intuitiue titulo talis connexionis: non verò itidem in obiecto ad se aliter, quam per talem connexionem, relato: tametsi nullum obiectum ad se relatum queat attingere, nisi se simul apprehendendo simpliciter, sine eodem actu, siue diuersis iuxta dicta quæst. illa 6. disput. 23. Addo, aliter, quam titulo connexionis, quam creatura habent cum Deo, & præscindendo ab illâ, tot insuper modis cognoscere se Deum in creaturis, quot creaturas ipsas cognoscit in se iuxta dicenda disput. 25. vbi de modis istis speciatim agendum est.

#### QVAESTIO IV.

*An Deus se cognoscat ex creaturis.*

32 Cognoscere se Deum ex creaturis est cognoscere se cognitione orta ex cognitione creaturarum tanquam ex principio mouente, ab eaque subinde distinctâ, iuxta definitionem cognitionis vnus ex alio traditam disput. 23. quæst. 7. Igitur negatiuam partem quæstionis absolutè tradunt Herice disput. 4. de Scient. cap. 3. a num. 21. Sfort. lib. 1. suæ Theologiæ num. 36. Alarc. tract. 2. disput. 2. cap. 2. Gasp. Hurt. disput. 2. de Scient. diff. 4. Arriag. disput. 18. sect. 3. subsect. 2. Ribaden. disput. 5. de Scient. cap. 4. & alij Recentiores. Affirmatiuam vero sequuntur Albiz disput. 3. de Scient. sect. 3. Ribas disput. 3. cap. 4. & quidam alij Recentiores.

#### Propositio 1.

Deus ex creaturis se cognoscit. Ex 33  
creaturis, inquam, non formaliter, sed tantum virtualiter.

Est dicere; intellectus diuinus per cognitionem creaturarum mouetur ad producendam virtualiter cognitionem Dei, quæ ab ipsâ creaturarum cognitione virtualiter distincta sit. Hæc propositio ex doctrinâ traditâ disput. 23. quæst. 6. proposit. 2. & quæst. 7. proposit. 3. constat. Ibi enim vniuersaliter probauimus, Deum hac ratione vnun quoduis obiectum ex alio cognoscere, quoties secundum cum primo essentialiter est connexum; qualiter creaturæ cum Deo ipso connexæ sunt. Recolatur doctrina ibi tradita. Vbi etiam argumenta ei opposita diluta sunt.

#### Propositio 2.

Cognitio, quam Deus de se comparat ex creaturis, non abstractiua, sed 34  
plenè, & perfectè quiditatiua, siue intuitiua est.

Quia, licet creaturæ non inducant ex se ad cognitionem quiditatiuam, siue intuitiuam. Dei, ipsum tamen Deum non possunt non inducere; utpote cui alia cognitio non plenè quiditatiua, siue intuitiua repugnat. Recognosce doctrinam datam loco citato, atque iterum repetitam quæstione præcedente.

#### Propositio 3.

Deus ex cognitione creaturâ infallibi- 35  
liter secum connexâ vt cum obiecto se etiam speciali titulo intuitiue cognoscit. Ex cognitione verò fallibili ad se vt ad obiectum relatâ relatione non connexionis non se cognoscit titulo talis relationis.

Constat etiam hæc propositio ex doctrinâ vniuersali loci sæpe citati. Ibi enim statumus omnem relationem connexionis per cognitionem sui mouere, determinareque Deum ad cognoscendum suum terminum; relationem verò non connexionis minimè: tametsi hæc sine suo termino simpliciter saltem apprehenso cognosci non possit. De quo videnda, quæ ibidem dicta sunt, atque etiam quæstione præcedente. Porrò tot insuper modis cognoscit se Deus ex creaturis independentè ab earum connexionem, quot ex se cognoscit creaturas iuxta dicenda disput. 25.

#### QVAESTIO V.

*Virum Deus comprehensiuè se cognoscat,  
Et qua ratione.*

Certum dogma est inter Theologos, Deum 36  
se comprehendere eo genere comprehensionis, quo